

Uno modo in re alterius naturæ, sicut imago regis in denario, et hæc imago ordinatur pure ad repræsentandum, alio modo in re ejusdem naturæ, sicut imago regis in filio suo; et hæc est perfecta imago, nec ordinatur solum ad repræsentandum, sed ad propagandum naturam sui principii. Itaque filius est imago nata, non ab arte adumbrata, cum tamen imago pieta, et adumbrata magis ordinetur ad repræsentandum, quam imago nata, quia hæc ordinatur ad propagandam naturam: id enim per generationem intenditur, scilicet ut natura propagetur, et communicetur, in creaturis quidem per multiplicationem naturæ, in divinis per consubstantialitatem communicationem ejusdem. Cum ergo inveniamus Verbum utroque modo esse imaginem, in creaturis quidem ut imago repræsentativa, seu ad repræsentandum ordinata, quatenus est repræsentatio accidentalitatis, et in re alterius naturæ a suo objecto repræsentato: in divinis autem ut imago nata, et propagativa, non in naturæ multiplicatione, sed in ejusdem consubstantialitate, restat p. Vasquez integra, et tota difficultas, unde, et per quam formalitatem habet processio imaginis intentionalis, quod solum dicit verbum ex suo conceptu communi transire ad rationem imaginis propagativæ, et substantialis in eadem natura, quod prorsus requiritur ad rationem imaginis, quæ est Filius? Nam si hoc habet quia divina, incidit in sententiam Cajetani quam impugnat. Esse autem divinam non habet intellectio ex sua analogia, et communi ratione, sed ex contracta, et particulari, quia est in tali subjecto, et in tali natura, ut dixit Cajetanus. Et restat explicare, quare processio Spiritus sancti licet ex suo analogo et communi conceptu non sit pro-

cessio imaginis repræsentativæ, tamen quia ex conceptu particulari in quantum divina, habet producere terminum omnino similem in substantia, ex hac etiam formalitate talis processionis, non habet induere rationem imaginis propagativæ in eadem natura, cum ad hoc quod sit imago, sufficiat quod similitudinem habeat ejusdem naturæ ex vi sui principii, et sic repræsentet illud. Si autem habet Verbum esse imago nata, et propagativa substantialiter, non autem pure repræsentativa ex ipso genere intelligibilis repræsentationis, quatenus summa, et perfectissima est in ea linea, incidit in sententiam Ferrariensis, quam rejicit.

XV. Quare resolutorie dicendum est cum sententia Ferrariensis qui in hoc puncto attingit mentem sancti doctoris, quod processio Verbi stando præcise in linea intelligibili et ex vi formalitatis suæ, et non considerando differentiam aliquam extraneam vel identicam quatenus talis, sed solum purificando ipsam rationem intelligibilis processionis ab omni potentialitate, et imperfectione, ex ipsamet proprietate, et intimis visceribus intelligibilis processionis redditur substantialis, et generativa. Itaque processio intelligibilis ex perfectione propria, quæ est assimilativa sui objecti, et ad ejus unitatem tendens petit substantialem unitatem et assimilationem, et consequenter quod ejus assimilatio sit expressio imaginis propagativæ. Ex defectu vero ex imperfectione ejus est quod sit imago accidentalitatis, et tantum repræsentativa sicut in nobis, in quibus esse intelligibile non est ipsa substantia rei, sed aliquid accidentale; et sic non est quærendum quomodo imago, quæ solum est intentionalis, et repræsentativa, et quasi pieta sicut in nobis verbum transeat ad hoc ut sit

imago nata, et substantialiter propagata, sicut requiritur ad generationem, in quo major vis difficultatis hic consistit, nec apparet quomodo hoc conveniat imagini intelligibili ex vi verbi, et formali ratione lineæ intelligibilis, sed ratione subjecti quo est, scilicet quia est divina, quod videtur, ex parte materiali se tenere. Sed nos dicimus intentionalem imaginem ex sua formali linea, et ratione intellectualitatis esse substantialem, ex imperfectione vero, quæ est in creaturis esse accidentalem, et pictam, nec elevari per depurationem ab imperfectionibus ad hoc ut substantialis sit, sed vindicari, restituique naturæ suæ intelligibile, et ad id quod petit ex puritate intellectualitatis. Unde licet ex eo quod processio sit divina, petat per identitatem in natura substantiali quod processio substantialis sit, et hoc sit commune omni processioni divinæ, tamen ex eo quod intelligibilis in actu puro, formalissime loquendo, etiam substantialis est, et generatio, quia est assimilatio intelligibilis summo modo, et unitatem summam faciens cum objecto.

XVI. Fundamentum, et ratio hujus desumitur ex ratione ipsa D. Thomæ in hoc articulo secundo, adjunctis his quæ traditur in articulo primo, solutione ad II. Explicans enim sanctus doctor in articulo secundo quomodo processio Verbi sit per modum similitudinis, id probat quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ. Explicans autem quomodo sit in eadem natura (quod est esse substantialem) id explicat, quia in Deo idem est intelligere, et esse: constat autem quod intelligere non est esse Dei per identitatem, sed per specificationem, cum pertineat ad intellectualitatem divinam, quæ propria est naturæ ejus, ut natura est, sicut primo tomo

ostendimus, disputatione sexta decima. Sive enim natura Dei consistat in ipso actu secundo intellectio- nis, quod est intelligere, et intelligi, sive consistat in aliqua intellectualitate antecedenti ad actum secundum intelligendi, tamen in omnium sententia natura divina in gradu intellectivo debet consistere; si quidem propria, et specifica ejus operatio atque summe immaterialis, est intelligere: ergo oportet quod esse Dei, ut specificum, sit illud quod in gradu intellectivo est actus ultimus, et purissimus, seu est ipsum esse in ordine intelligibile, et hoc est intelligere, atque adeo non est esse Dei per identitatem, sed per specificationem.

XVII. Quod si dicas, quia in sententia dicente quod natura divina non est intelligere, sed intellectualitas, seu intelligere radicale, tunc intelligere est operatio, et intellectus est attributum; et sic supponunt substantiam, et naturam constitutam, non ipsa formaliter sunt substantia, sed identice; et sic procedens per intellectum formaliter procedet ut simile in attributo, non ut simile in natura, nisi tantum identice, et hoc convenit Spiritui sancto, respondetur hæc nihil obstare, quia licet intellectus, et intelligere sint attributa, et supponant naturam, sicut propria passio, et operatio, tamen formalis, et per se ratio illius proprietatis, et illius operationis est exprimere terminum sicut in nobis potentia generativa est proprietas, et non substantia, ejus autem terminus formalis non est simile in potentia generativa, sed in natura, et hoc sufficit ad generationem; intellectus autem tendit ad exprimendum simile in ipso objecto, et ut intellectus fiat idem intelligibiliter cum illo, et si intelligibile esse sit substantiale, tendit ad faciendum idem substantialiter cum



objecto, quod est natura divina. Compulsus autem Spiritus sanctus tendit ad amorem, quod supponit intellectum, et consequenter naturam; et sic non facit simile in natura ut natura est.

Unde explicans S. Thomas in hac quæstione, artic. I ad II, quomodo Verbum divinum non sit diversum in natura, sed consubstantiale Patri ex eo quod procedit ad intra, id probat, quia quanto aliquis perfectius intelligit, tanto conceptio ejus est magis intima, et magis unum cum intelligente: nam intelligere ad hoc tendit ut fiat unum cum intellectu, id est, cum objecto, ab objecto autem simul cum intellectu paritur notitia. Unde quando intelligere est in fine perfectionis, seu summe perfectum, sicut est intelligere divinum, Verbum quod procedit per tale intelligere, necesse est quod sit summe unum cum eo a quo procedit, id est, cum Patre in objecto intellectu, quod est ejus essentia. Ecce quomodo D. Thomas ex ipsa summa perfectione intellectionis intra lineam intelligendi, et ordinis intelligibilis, et secundum propriam formalitatem intelligendi, quæ est fieri unum cum objecto intellectu infert, quod est summe unum cum tali essentia, quod est esse substantialiter unum, ut mox ostendemus. De eodem videri potest D. Thomas in IV contra gentil. c. XI.

XVIII. Ex his ergo formatur discursus sic pro ratione, et sententia D. Thomæ de ratione formalissima, et in quarto modo per se ipsius intelligere, et expressionis, seu distinctionis ejus est fieri unum cum objecto in esse intelligibili, et exprimere ipsum objectum cum omnimoda similitudine ejus in eodem esse intelligibili, in quo ipsum objectum intelligibile est, sed quod esse intelligibile objecti non sit ip-

samet substantia, et ipsummet esse entitativum objecti provenit ex potentialitate ejus, et defectu in ratione actus puri: ergo si ex ipsa ratione actus puri in linea intelligibili et ex ejus perfectione deputata ab omni potentialitate provenit quod intelligibilitas sit substantia, et esse intelligibile non sit accidentale, sed substantiale, ex eadem summa perfectione in ipso intelligere, et in ejus expressione provenit, quod processio intelligibilis faciat unum in substantia cum suo objecto, et non solum accidentaliter.

Major patet ex ipsa ratione intellectionis: intelligere enim fit trahendo objectum ad se, et illud penetrando atque apprehendendo, et quanto perfectius intelligit, tanto magis trahit ad se et unit sibi, quod utique non fit, nisi quatenus ipsum objectum unitur intelligenti in esse intelligibili, ita quod per hanc unionem non fit intellectus aliud, sed ipsummet objectum numero, quod est in se entitative, ingreditur intra intellectum intelligibiliter, et in esse intentionali, seu repræsentativo, et idemmet objectum numero quod cum intellectu unitur, paritur, et exprimitur in esse intelligibili seu intellectu, et expresso: ergo intelligere de se formaliter, et ex propria ratione tendit ad unitatem in esse intelligibili faciendum cum ipsomet objecto: et expressio, seu locutio intelligibilis ad eandem unitatem in esse intelligibili tendit per modum expressionis.

Minor vero probatur, quia rem esse intelligibilem pertinet ad ejus immaterialitatem, et depurationem a conditionibus materiæ: ergo ad majorem immaterialitatem alicujus rei pertinebit quod seipsam, et non per speciem aliquam superadditam intelligibilis reddatur: nam quod per speciem aliquam fiat intelligibile, provenit ex eo quod res ipsa

secundum se non habet illam immaterialitatem ita in actu, ut se ipsa possit servire loco speciei, tam in se, quam in aliis intellectibus, et ita quoties res aliqua formatur in esse intelligibili, sive per modum principii intelligibilis, et speciei impressæ, sive per modum termini intellecti in specie expressa per aliquam accidentalem repræsentationem a se distinctam, signum est talem rem non esse intelligibilem in actu puro, sed cum aliqua potentialitate, quatenus formari potest, et perfici in ordine, et linea intelligibili per aliquid distinctum a se, et consequenter potest ejus intelligibilitas accidentaliter participari, nec per seipsum, et in substantia sua est omnis sua intelligibilitas.

Si autem aliquod objectum ita est sine potentialitate quod per seipsum et secundum suam substantiam, non per aliquid superadditum, intelligibilitatem suam habet in actu ultimo, id quod procedit per tale intelligere ex propria vi sua, et formali ratione intelligendi procedit ut unum, et simile in substantia. Patet hoc, et simul probatur consequentia supra facta, quia intellectualitas ex formali suo conceptu est gradus constitutivus naturæ viventis substantialis, ut patet in nobis. Quod vero sit talis intellectualitas quod indigeat specie impressa, aut expressa accidentali, et intellectione tamquam actu accidentali superaddito, provenit ex imperfectione istius intellectualitatis in linea intelligibili, quia est intellectualitas cum potentialitate; et sic non est per se ipsam formata in suo objecto, et in suo intelligere, sed indiget specie superveniente et actu superaddito distincto, ut optime advertit S. Thomas supra q. XIV, a. II. Si ergo intra lineam intellectualem depuretur ab omni ista potentialita-

te, et defectu, sicut per se ipsam intellectualitas est gradus naturæ substantialis, ita ex ipsis visceribus, et linea intellectualitatis erit intelligibilis, et intellecta, habebitque omne esse intelligibile, non accidentale, et accidentaliter sibi adveniens, sed substantiale, et substantialiter constituens illum gradum intellectualitatis in actu ultimo. Rursus omnis processio intelligibilis, quæ fit secundum intelligere internum, est processio tendens ad unitatem intelligibilem cum objecto exprimendam, et faciendam in eodemmet numero objecto: ergo si procedit ut depurata ab omni potentialitate in linea intelligibili, ex eadem formalissima ratione tendit ad faciendam unitatem cum objecto in substantia, et ad consubstantialitatem cum objecto, quia intelligibilitas ipsa ex perfectione ipsa, et summa puritate in esse intelligibili substantia est, et processio intelligibilis unum facit cum illa.

XIX. Dices primo: Restate nobis eandem difficultatem quæ in sententia Vasquez, et in sententia Cajetani, quia hoc ipsum quod est purificari intellectualitatem, et intelligibilitatem ab omni potentialitate, non habet ex linea ipsa, et genere intelligibili, sed ex eo quod divina: ergo etiam quod sit substantialis generatio habet ex eo quod divina, et quasi indente tantum non formaliter, et in quarto modo per se.

Dices secundo: Discursus factum solum probare quod ubi intelligibilitas depuratur ab omni potentialitate, fit omnino unum per locum intrinsecum, et in eadem linea intelligens, et objectum intellectum, species impressa et expressa, quæ est verbum, non vero quod processio ipsa intelligibilis substantialis sit. Diceret enim aliquis quod natura intelligens quando est summe perfecta, et depurata ab omni



potentialitate habet quidem summam et substantialem unitatem intelligens, et intellectum objectum, et intelligere, sed tamen non habet realem processionem, quia non per processionem redditur objectum intellectum in actu. Si autem processio realis in tali intelligere admittenda est, illa erit solum ordinata ad manifestationem, et expressionem rei intellectæ; et sic sufficit quod accidentaliter sit, quia non ordinatur ad constituendam intelligibilitatem objecti in actu ultimo, sed ad manifestandum constitutam, vel si substantialis est illa processio, quia intra Deum accidens reperiri non potest, jam non per locum intrinsecum illa processio, ut processio intelligibilis, substantialis erit, sed solum identice, quia divina est, et intra Deum, quod etiam convenit Spiritui sancto.

XX. Ad primum dicitur, quod licet intellectualitas, sicut et quodlibet aliud prædicatum intra Deum non purificetur ab omni potentialitate, nisi divinum sit, et identificatum cum esse, et entitate Dei, tamen revera intra suam propriam lineam, et formalem rationem unumquodque prædicatum purificatur a potentialitate, et redditur actus purus, et illa purificatio, et denudatio a potentialitate, et ab omni imperfectione non censetur extranea, et solum materialiter, et identice ei convenire, sed intra formalem rationem suæ lineæ. Et hoc ideo quia exclusio omnis potentialitatis, et denudatio ab illa in quolibet prædicato, et in quolibet genere etiamsi præcise intra illam lineam, et genus consideretur, et non ut identificatum in re cum aliis generibus, et prædicatis, est exclusio ejus, quod imperfectio est, et defectus, et potentialitas in tali genere, et linea, et solum remanet id quod perfectionis, et actualitatis est in sua puri-

tate. Quod autem in unoquoque genere consideretur ratio perfectionis, et actualitas illius, ad formalem ejus rationem pertinet: imo hæc est formalissima ejus consideratio, quia talis abstractio, et præcisio, qua aliquid denudatur a suis imperfectionibus, et potentialitate, est abstractio formalis, nunquam autem id quod est imperfectionis, et potentialitatis pertinet ad formalem rationem rei, nec exclusio illius excludit formalem rationem rei. Igitur licet verum sit quod intelligibilitas, et intellectualitas non depuretur ab omni potentialitate in re, nec sit actus purus, nisi sit esse divinum in re, et identificetur cum omnibus aliis prædicatis, et attributis Dei, tamen adhuc intra lineam, et genus proprium suum, scilicet in linea intelligibili esse purum actum, et ab omni potentialitate depurari, non extrahit ipsum a tali linea, nec extraneum illi censetur, sed intra ipsam lineam intelligibilitatis formalissime se habet, sicut etiam alia attributa, ut sapientia, et justitia, et misericordia in Deo intra suam formalitatem considerantur, quando considerantur ut in actu puro intra rationem, et lineam sapientiæ, vel justitiæ, adhuc formaliter considerantur, et non secundum aliquid adjunctum, quasi sibi extraneum, et identificatum, sed intra suam formalem rationem id habent; et hoc ideo, quia ratio actus puri, et increati, aut creati intra omnem formalitatem possunt imbibi, nec tamquam aliquid extraneum reputantur, licet verum sit quod hæc ratio actus puri necessario postulet identificari cum omni alio, quod divinum est, nec aliter in re reperiri possit: sed nos non consideramus omnia quæ habet intelligibilitas ratione divinitatis identificata sibi, sed solum id perfectionis quod intra suam lineam habet ex ipsa purificatione

actualitatis suæ propriæ in illo genere intelligibili.

XXI. Ad secundum dicitur, quod discursus factus solum probat quod intelligere, et intelligi in actu puro summam, et substantialem unitatem petit, et habet cum objecto intellecto. Et ita si secundum tale intelligere fit aliqua processio, illa debet esse substantialis, et non solum repræsentativa, sicut accidens repræsentat substantiam, sed propagativa, sicut substantia Filii repræsentat substantiam Patris, eandem communicando sibi. Quod vero dicitur processio de facto, hic discursus non probat, sed ex fide supponit. Sed cum ipsa fides Personam unam procedentem dicat esse Verbum, quod pertinet ad expressionem intellectivam, nec dicatur esse Verbum externum, sicut voces apud nos, sed internum, quod est apud Deum, et quod Deus est Verbum, discursus ipse nos ducit ut, hac intelligibili processione supposita, necessario ipsam ex vi talis intelligibilitatis etiam intra lineam, et ordinem intelligibilem dicamus esse consubstantialem, seu secundum unitatem in substantia, ita quod illa expressio Verbi non sit solum processio imaginis repræsentativæ, sed propagativæ, non in diversa natura, sed in eadem propagando Personam. Et licet processionem hanc esse sola fides ostendat, non ratio demonstrat, tamen supposita fide, eaque non repugnante persuadet ratio hanc processionem optime convenire Deo, quia intellectualis natura de se est manifestativa, seu locutiva ejus quod intelligit, et fecunditatem habere ad manifestandum magna perfectio est, quam Deo non deesse convenientissimum est, nec eam ex indigentia habet ut objectum reddatur intellectum in actu, sed ex intelligentia, et abundantia cordis eructat verbum bonum.

XXII. Cum autem instatur, quod si ita est, hæc processio manifestativa non erit per locum intrinsecum substantialis, quia ex se non requiritur ad substantiam intelligibilitatis, sed si substantialis est, solum id habebit, quia est intra Deum, respondetur esse substantialem per locum intrinsecum, non quia ad constituendam intellectualitatem in actu puro requiratur processio, sed quia verbum ipsum essentialiter, et per locum intrinsecum est intelligibilis terminus, et repræsentatio continens objectum intellectum, et sub intelligibili esse expressum: ergo si intelligibilitas illa in qua fit expressio ex suo formali conceptu, et per locum intrinsecum est substantia, quia est actus purus intellectualitatis, et intelligibilitatis, etiam per locum intrinsecum ipsum verbum est unum cum suo objecto in esse substantiali, quia per locum intrinsecum procedit ut unum in esse intelligibili cum objecto, ita quod sit unum numero cum objecto in illo esse: nec enim aliud numero, sed ipsummet objectum repræsentat, et continet intra se in esse intelligibili verbum, sed esse intelligibile illius objecti quod exprimit Verbum divinum per locum intrinsecum est esse substantiale ejus, si quidem objectum ejus formale primum, et specificum est ipsa divina essentia, et esse intelligibile illius ex ipsa ratione actus puri intra suam lineam est substantiale, ut ostensum est: ergo processio Verbi quando est purificata ab omni potentialitate, substantialis processio est intra lineam suam, et formalem ordinem intelligibilis processionis.

XXIII. Ex his deducitur id quod supra proposuimus probandum, processionem intelligibilem ex sua perfectione consideratam, et non ex adjectione potentialitatis, et imper-



fectionum, quæ illi aggregantur in creaturis, non solum esse productivam imaginis repræsentativæ, quæ pure munus repræsentationis exerceat, sicut pictura, et sicut imago arte adumbrata, sed esse productivam imaginis propagativæ, et substantialis, imo de se petere ut terminus procedens sit consubstantialis in eadem numero substantia, et natura. Ex defectu autem intelligibilis processionis esse quod imago procedens sit solum repræsentativa per modum accidentalis expressionis, et quasi picturæ; quia processio intelligibilis de se tendit ad hoc quod intelligens sit unum cum ipso objecto intellecto, non unum in specie, sicut cum unus homo producit alium hominem, qui solum in specie est idem, sed unum numero, quia intelligens aliquod objectum, et penetrans illud cum illo objecto eodem numero conjungitur, et unum cum illo fit, non entitative per conversionem, et transmutationem in illud, sed sine transmutatione per intelligibilem apprehensionem, et repræsentationem: ergo intelligibilis processio de se petit, et tendit ad identitatem cum objecto in esse intelligibili: ubi ergo invenit quod esse intelligibile est substantiale, et ipsa substantia objecti maxime tendit ad consubstantialitatem, quia tendit ad identitatem in substantia, id est, in illo esse intelligibili, quod substantiale est, et cum tendat intelligibilis processio, ut sit unum cum re intellecta, ubi perfectissime tendit, perfectissime facit unum: ergo substantialiter idem, quia hoc est perfectissime unum; et sic maxime servit ad generationem Personæ consubstantialis in eadem natura, sicut est in divinis.

XXIV. Sequitur secundo explicatio rationis S. Thomæ hic articulo secundo quæ maxime formalis, et intrinseca est, cum probat proces-

sionem Verbi esse generationem. Applicat enim illi omnes particulas generationis. Quod enim sit origo viventis a vivente patet, quia est processio per modum actionis intelligibilis, quæ est operatio vitæ. Quod sit a principio vitæ conjuncto constat, quia est ex substantia Patris: substantia enim Patris est objectum ejus quod substantialiter est intelligibile, et intellectum in actu puro; ex objecto autem cognito, et intellecto formatur verbum quod est manifestatio intelligibilis talis objecti. Quod sit in similitudinem patet, quia est conceptio intellectus, et similitudo rei intellectæ, quæ quidem in nobis est similitudo accidentalis, et pure repræsentans, quia esse intelligibile accidentaliter convenit intellectualitati, in Deo autem est similitudo substantialis, et propagativa, quia facit unitatem cum objecto in esse intelligibili quod in objecto increato est esse substantiale. Et denique est in eadem natura, quia intelligere, et esse est idem, ubi ly in eadem natura intelligitur in eadem numero substantialiter; et ly est idem intelligere, et esse, intelligitur de esse substantiali specifico, non solum per identitatem uno cum intelligere, sicut omnia quæ intra Deum sunt, unum et idem sunt, sed formaliter ex vi intelligibilitatis in actu puro, quæ hoc ipso quod caret potentialitate, consolidatur ipsi intellectualitati, quæ est gradus constitutivus, et specificus naturæ substantialis, ita quod ipsa natura, et substantia non solum seipsa est intellectualis, sed seipsa est intelligibilis, et intellecta, quia sine ulla potentialitate habet totum quod pertinet ad lineam intelligibilem. Et sic parum refert ad hanc rationem D. Thomæ, quod natura divina consistat in intelligere in actu secundo vel in intellectualitate in actu primo, sufficit quod

esse quidditativum et specificativum naturæ divinæ sit intellectualitas in actu puro; ita quod sit suum esse intelligibile substantialiter. Unde idem est procedere in actu puro intelligibili, ac procedere in esse substantiali, quod est formalissimum in ipsa natura intellectuali, ut actus purus est, quod non currit in aliis attributis, et perfectionibus, quæ solum quia divinæ sunt substantiales, non quia ad ipsum gradum intellectualitatis pertinent substantialiter ut in actu puro. Et ex eadem ratione communicatur Verbo ex vi suæ processionis non solum intelligi, passivum in actu secundo, sed etiam intelligibile in actu primo, et intelligere activum, quia hæc omnia in actu puro intelligibilitatis idem sunt, et solum ratione alicujus potentialitatis dividuntur, et differunt, ut S. Thomas supra quæst. xiv, art. II. Et sic cum ipsum intelligere Dei sit objectum sui, si ex vi processionis communicatur identitas objecti, communicatur formaliter ipsum intelligere, et non solum ipsum intelligi.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXV. Præcipuum argumentum sumitur ex purificatione processionis Verbi divini ut substantialis est cum processione Spiritus sancti, ut substantialis etiam est, probando quod vel utraque id habet identice, et non formaliter, vel utraque id debet habere in quarto modo per se. Et summa discursus reducitur ad hoc, quod processionem istæ considerata non in communi, et secundum conceptum analogum ut abstrahunt a creatura, et increata: sic enim neutra ex vi talis conceptus est substantialis productio, alias in omni inferiori esset generatio, seu substantialis productio, quod aperte

patet esse falsum in processione intellectus creati; sed considerata in particulari et contracte, ut sunt processionem Personarum divinarum ex vi suæ processionis formaliter, et in quarto modo sunt substantiales, et in similitudinem naturæ, quia sunt processionem Personæ increatæ divinæ, et per quas communicatur divina natura, et habetur ipsa deitas pro principio talis communicationis et processionis: ergo si ex eo processio Verbi divini est processio, generativa et substantialis, et processio Filii, quia ex vi suæ processionis in quarto modo procedit ut Deus, et similis suo principio, idem habebit Spiritus sanctus. Quod si Spiritus sanctus non habet, neque Verbum: ergo totum quod adducimus de intelligibilitate, et de processione in esse intelligibili, et per modum similitudinis repræsentantis frustraneæ, et superflue adducitur, quia totum hoc pertinet ad processionem similitudinis, et repræsentationis intentionalis, quæ de se, et ex conceptu suo solum est processio per modum cujusdam accidentalis repræsentationis, sicut fit in nobis. Quod vero ista processio similitudinis intentionalis transeat ad aliam lineam, nempe ut sit processio similitudinis substantialis, et propagativæ, non habetur ex vi lineæ intelligibilis, sed ex eo quod processio divina. Ex hac autem ratione etiam processio amoris et impulsus, quæ secundum se, et prout in nobis est pondus quoddam, et amor accidentalis, ut divina processio est substantialis, et communicativa ejusdem naturæ, et id quod procedit tali modo procedit ex vi suæ processionis, ut Persona increata, et ut Deus, non ut accidens, aut creatura: ergo ex hac parte non discernitur inter processionem Verbi, et Spiritus sancti. Et illustratur exemplo vulgari. Nam